Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

la: Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico: surge tolle lectum tuum et uade in domum tuam. Et surrexit: et abiit in domum suam. Videntes autem turbe timuerunt. Et glorificauerunt deum qui dedit potestatem talem hominibus.

Dom. xx. Ad ephesios.

Fratres. Videte itaque quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes sed ut sapientes: redimentes tempus quia dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quid sit uoluntas domini. Et nolite inebriari uino in quo est luxuria: sed implemini spiritu loquentes uobis metipsis in psalmis et ymnis et canticis spiritalibus: cantantes et psallentes in cordibus uestris domino: gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri iesu xpi deo et patri: subiecti inuicem in timore christi.

Sp Dathm.

Illo tempore. Loquebatur iesus cum discipulis suis: in parabolis dicens. Simile factum est regnum celorum homini regi: qui fecit nupcias filio suo. Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nupcias: et nolebant uenire. Iterum misit alios seruos dicens. Dicite inuitatis. Ecce prandium meum paraui: thauri mei et altilia occisa: et omnia paratum: uenite ad nupcias. Illi autem neglexerunt: et abierunt. Alius in uillam suam: alius uero ad negociacionem suam: reliqui uero tenuerunt seruos eius: et contumelia affectos occiderunt. Rex autem cum audisset: iratus est: et missis exercitibus suis: perdidit homicidas illos: et ciuitatem illorum incendit. Tunc ait seruis suis. Nupcie quidem parate sunt: et qui inuitati erant non fuerunt digni. Ite igitur ad exitus uiarum: et quos cumque inueneritis uocate ad nupcias. Et egressi serui eius uias congregauerunt omnes quos inuenerunt malos et bonos: et impleta sunt nupcie discumbentium. Intrauit autem rex ut uideret discumbentes: et uidit ibi hominem non uestitum ueste nupciali: et ait illi. Amice: quomodo huc intrasti non habens ueste nupcialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris. Ligatis pedibus eius et manibus: mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus